

Inter loca Epist. prioris Petri difficiliora iure numeratur versus 6. c. 4. Hunc bene verti posse dubitavit *Castellio*, praeclare: *Haec non intelligo, itaque ad verbum verti.* Plures extant interpretationes, quae aliquam ac prope parem habent speciem. Sed nostrum non est aliorum opiniones sententiasque proferre, examinare, ponderare; sat erit, nostram modeste aperuisse.

Interpretes plerumque haerent in verbo νεκροῖς, quod quidam intelligendum esse, autumant de *spiritualiter mortuis*, quibus evangelium praedicatum est eo consilio, ut pristina desererent vitia vitamque agerent Christianae religioni consentaneam, quamvis ideo odia, iras atque injurias paterentur. Sed quis non videat, hanc interpretationem hic non posse locum habere, cum verbum hoc aperte referatur ad versum praecedentem, ubi Petrus de iudicio extremo agit, quod et vivi et mortui, scilicet corpore sustinebunt. Intelligendi igitur sunt: *vita defuncti*, trucidati ab ethnicis ob Christianae doctrinae professionem. *Grotius* bene ad locum. Intelligendi non qui mortui erant cum eis annuntiaretur Christus, sed qui mortui erant cum Petrus haec scriberet.

νεκροῖς εὐηγγελιάθη, *promissiones evangelii annuntiatae sunt mortuis.* εὐαγγελίζεσθαι et κηρύσσειν c. III. v. 19. unum idemque significant.

κρίνεσθαι σαρκὶ ad mortem damnari, interfici. Κατὰ ἀνθρώπους, per homines. Sic κατὰ in usu est 1 Cor. XII. 8. Κατὰ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, per eundem Spiritum, vid. *Kypcke* ad h. l., et 2 Cor. XI. 17. Κατὰ κύριον.

Σὰρξ, *vita humana imbecillis*, uti 1 Cor. XV. 50. Ebr. II. 14. et πνεῦμα in oppositione: *melior splendidiorque status* in altera vita. Ita Paulus 1 Cor. XV. corpus hominis χοῖκον, ἐπίγειον, ψυχικόν, et corpus futurum πνευματικόν appellat. Falsus haec probantur in S. V. *Doederlein* disquisitione de voce πνεῦμα, quoties de Christo adhibetur, in *Repertorio für biblische und morgenländische Litteratur* Vol. II. p. 3. seqq.

κατὰ θεόν, per Deum, nimirum virtute et potentia divina, ita ut opponatur κατὰ ἀνθρώπους; non cum S. V. *Semlero*, novo Dei jure atque ordine.

Totum versum sic vertere mallet: *Ideo enim illis ob religionis professionem trucidatis, haec evangelii promissiones annuntiatae sunt, ut quamvis ad mortem*